

lerent. Unde etiam si tu tam multa, & gravia peccata commisisses, quām omnes simul homines commiserunt ; si ex animo dolores, quōd divinam Majestatem per illa offendēris, & seriō statueres in posterum abstinere, in momento per Christi meritum omnia dereliquerentur, & filius Dei, hæresq; Regni cælestis constituereris.

Sextō, considerandum, quām innumerabiles, & quām graves peccatores sint misericordiam & salutem omnibus sæculis consecuti : quarē non dubites, te etiam consequi posse.

Ex his, & similibus considerationibus, magnam in me spem salutis excitabo.

**C A P U T IV.**

*Quomodo excitanda charitas in Deum?*

**C**onsideranda hīc Dei in nos charitas, & beneficia plurima maximaque.

Primō, quōd nos ex nihilo ad imaginem & similitudinem suam creaverit, ac proinde capaces beatitudinis suæ, omniumque bonorum suorum fecerit.

F

Secun-

Secundò, quòd cælum & terram, solem, lunam, stellas, & elementa, & omnem natu-  
ram corpoream nostrâ cauissâ considerit, &  
nostrâ cauissâ conserveret, gubernet, ac moveat,  
& omnia nasci & crescere faciat. Et quòd  
beatissimos illos Spiritus ad nostram custo-  
diam, directionem, & opem deputaverit.

Tertiò, quòd perditos ab æterna morte,  
& incendijs inferorum sempiternis redeme-  
rit, & inimicos in gratiam receperit.

Quartò, quòd non solum redemerit, sed  
etiam in filios adoptaverit, & Spiritu sancto  
donaverit, & cœlestis regni hæredes fecerit.  
Quintò, quòd Corpus & Sanguinem su-  
um nobis in alimentum vitæ æternæ celi-  
querit.

Sextò, considerandum, quàm miris mo-  
dis, quantis laboribus, cruciatibus, in nostra  
natura assumpta, hæc perfecerit: quàm mul-  
ta indigna & acerba sit passus, nostrâ cauissâ.

Septimò, quòd infinitum meritorum  
suum thesaurum nobis in Sacramentis re-  
liquevit, per quem, quoties contigeret labi,  
possemus restitui & reconciliari, & auxilium  
ad rectè vivendum obtainere.

Octavò, consideranda mihi sunt benefi-  
cia,

cia, quæ in me peculiariter contulit: ut quòd non fecerit nasci intet Turcas vel hæreticos; neque eo tempore, quo lux Evangelica nondum erat patefacta; sed tempore gratiæ, & inter Christianos, ut in vera religione & pietate possem institui. Quòd ab innumeris peccatorum & æternæ damnationis periculis eripuerit, quibus alij perierunt. Quòd ab hæresi & seductoribus, quibus plenus est mundus, servaverit. Quòd toties peccantem benignè sustinuerit, & in gratiam receperit. Quis unquam princeps, quantūmvis clemens, subditum septies reum, septies in gratiam recepit? At Deus non septies, sed centies, & millies peccantes, toties rursum in gratiam recipit, & amicos ac filios, & hæredes efficit.

Nonò, denique, quòd tota Dei cura, cogitatio & molitio circa nos & circa creaturem omnes, non aliò tendat, quàm ut nos æternam salutem consequamur.

Itaque si Deus, si summa illa Majestas ita me dilexit, tam multa, tam magna, tam mirabilia in me beneficia contulit, tam indigna & acerba pro me pertulit, tanta benignitate assidue erga me utitur; perpendam, quantum

F 2  
ego